



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

II. An prima causa determinet secundam ad indiuiduationem effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

causā impedire effectum ab illa producendum. Reliqui alij modi per qualitatem stupefactionis actionis, per augmentum resistentiæ passī, vel per distractionem animi ad alia obiecta, indignè Deo tribuuntur, nimis enim illius omnipotentia derogatur, si non valeat effectus positivi productionem impedire, absque alijs effectus actione positiua.

- 31 Ad argumentum adductum n. 11. quo probabā effectum dependere à Deo per eandem actionem, quā dependebat à causa secunda, quia actio causæ secundæ utpote creaturæ, à Deo dependere debebat, respondet Dola part. 4. c. 17. n. 5. fieri posse non solum actionem non dependere à Deo immediatè, verum etiam posse dari causam secundam, quæ dum alium producit effectum, non dependeat immediatè à Deo, sed tantum mediatè, & remotè, nimirum mediante aliā causā secundā. Hæc solutio impugnāda est ex eo, quod Deus non potuerit effectum productum corrumpere, seu non productum impedire, quin destrueret non solum causam proximam, à qua dependebat, sed etiam causas remotas, quovique perueniret ad illam, in quam Deus immediatè influebat. Quæ impugnatio coincidit cum illa, quam adhibui argumento præcedenti, licet plus absurdi extorqueat ab opposita sententia, ex qua deducit non posse Deum aliquem effectum destruere absque alia maiori opera, videlicet absque corruptione plurium causarum.

PUNCTUM II.

An prima causa determinet secundam ad indiuiduationem effectus.

- * OMNIS causa necessaria determinata est per suam naturam ad speciem effectus naturaliter producendi, ita ut, si ignis aliquid producat in passio approximato effectus productus sit calor; & non frigiditas: ex se enim substantia ignis petit producere calorem, & non frigiditatem; quam nequit sua attingere actiuitate. Cum hac determinatione quoad speciem, est alia indifferentia quoad indiuiduationem; ignis enim, qui petit calorem, & non frigiditatem producere, indifferens est, ut producat hunc, vel illum calorem, ex omnibus, quos in sua actiuitatis continet sphaera. Hæc indifferentia determinanda est ab aliqua circumstantia, seu comprincipio ab igne distincto, in cuius cognitionem constituitur disputatio. Dixi causas necessarias determinatas quoad speciem effectus naturaliter producendi; quia si effectus esset supernaturaliter producendus per potentiam obedientialem tunc determinatio quoad speciem non à causa naturali, sed à Deo illam eleuante procederet, verbi gratia, si aqua haberet potentiam obedientialem ad producendum habitum charitatis, & habitum fidei, dum hic, & nunc habitum charitatis à Deo eleuata produceret, determinatio quoad speciem à Deo eleuante procederet; ideo enim produceret habitum charitatis, potius quam fidei habitum, quia Deus illam eleuaret ad hunc habitum, & non ad illum. Oportet etiam aduerte determinationem quoad speciem tribuendam esse principio adæquatè actiui necessariò, non inadæquato: quia potentia visiva indifferens est ad producendas visiones specie distinctas circa obiecta diuersa; cuius indifferentia determinatur per aliud comprincipium, videlicet speciem impressam; quæ posita non potest potentia visiva ultra certam, & determinatam speciem visionis se extendere. Causa libera non solum indifferentiam habet quoad exercitium; sed etiam quoad speciem effectus producendi: voluntas enim sæpè est libera ad amandum, & odio habendum: quæ libertas intrinsece includit indifferentiam ad actus amoris, & odij specie distinctos. Hæc indifferentia, quoad speciem actuum ab ipsa voluntate determinatur: aliàs libertatem non haberet quoad specificationem; illius enim est libertas, cuius determinatio indifferentia. Solum impræsentiarum examinandum superest: à quo proueniat determinatio quoad indiuiduationem effectuum, tam in causis creatis liberis, quam in necessariis?

- 2 Pater Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 74. cap. 7. numer. 46. affirmat, causas omnes naturales determinari quoad indiuiduationem effectuum, quos producunt, à circumstantiis extrinsecis; ita ut in hoc tempore, in hoc loco, & in

hoc passio, necessariò ab hoc agente, procedat hic numero effectus, & hæc numero actio. De actionibus liberis asserit in fine disputationis n. 53. voluntatem esse omnino liberam, non solum quoad speciem actus, sed etiam quoad indiuiduationem. Indiuiduationem effectuum non prouenire ab his circumstantiis; sed à Deo parante concursum ad hunc numero effectum, potius quam ad illum, docuerunt Gregorius de Arimino in 1. dist. 17. à 2. ad 7. & d. 25. q. 1. art. 1. P. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 3. n. 34. & sect. 6. à n. 6. Conimbr. 2. Physic. c. 7. q. 15. art. 2. & 2. de generat. c. 1. q. 1. art. 3. Fonseca. 5. Metaph. c. 2. q. 9. sect. 10. Rub. tract. 4. q. 9. num. 3. Hurtad. disp. 10. sect. 4. Arriag. disp. 1. Metaph. sect. 3. subsect. 9.

Acquiesco huic posteriori sententiæ; patienter autem non fero, illam intendere probare Arriagam ex principiis nostri Vasq. qui oppositam defendit. Sic argumentatur Arriaga loco citato. Angeli solo numero distincti potuerunt produci à Deo sub eisdem circumstantiis temporis, & locis, in quibus producti sunt in hoc tempore, & in hoc loco potuerunt produci in alio: quod adducit ex Vasq. tom. 2. in 1. part. disput. 124. num. 14. & disput. 181. cap. 3. ex quo infert Arriaga alios effectus videlicet cognitiones Angelorum, & productiones formarum materialium potuisse alio tempore produci. Porro difficultatem hanc non admodum attentè est meditatus Arriaga; qui solutionem luce clariorem non vidit, quam breuiter sub iocō Determinatio circumstantiarum constituit Vasquez in ordine ad rationem effectuum, ad quam causæ non se valent determinare, unde circumstantiæ non determinant calorem, ut producat calorem, potius quam frigiditatem, quia calor ex se determinatus est ad calorem producendum; determinant verò hæ circumstantiæ (loquor in sententia Vasquez) calorem producentem ad hanc numero caloris productionem, ad quam simul, & alias eiusdem speciei calor erat indifferens. Ex hac doctrina productio Angelī in doctrina Patris Vasquez non determinatur quoad indiuiduationem, ratione circumstantiarum: quia cum illius principium effectuum sit Deus, qui apprimè nouit vltimam indiuiduationem cuiuscumque Angelī, & cuiusvis productionis Angelicæ, valet se determinare ad hunc numero Angelum, & hanc numero Angelī creationem, per actum, quo dicat volo creare hunc numero Angelum per hanc numero creationem. Et sicuti voluntas creata non determinatur ab aliquo extrinseco secundum rationem effectus ad quam se determinare valet: ita neque Deus determinatur ab extrinseco secundum aliquam rationem ad effectum ab ipso producendum; quia ipse valet se determinare ad omnem rationem effectus per actū voluntatis, quo imperet omnipotentia non tantum creationem Angelī quoad speciem; sed etiam hanc numero creationem. Hac solutione satisfacio Hurtado asserenti secundum hanc sententiam fore Angelos Autumnales, qui tempore Autumnno poterunt produci, sicuti sunt casei Augustales, & fructus verni, & hyberni; Angelorum enim causa libera quoad indiuiduationem effectus, quem producit independentè à quibuscumque aliis circumstantiis, se determinat ad hunc Angelum ex vi huius actionis præ alijs creandum.

Neque placet argumentum, quod contra hanc opinionem facit omnium ferè recentiorum turba, videlicet Beatissimam Virginem meruisse ex Christi meritis accelerationem incarnationis, & hoc tempore concipi ipsum Christum, qui iam supponebatur futurus; quia licet hoc argumentum rectè probet potuisse Christum hoc, vel illo tempore concipi potentia absoluta (idem dico de quolibet alio effectū) non probat, has circumstantias loci, & temporis non exigere hanc numero productionem; contra quam exigentiam potest Deus, quemcumque hominem, in quocumque tempore, producere.

Sentio voluntatem creatam non posse se ipsam determinare ad indiuiduationem actus, quem producit. Probant ferè omnes conclusionem hac ratione. Intellectus non cognoscit rationem indiuidualem huius actus amoris: ergo ratio indiuidualis actus, ut distincta ab omni alio actu indiuiduo tendet circa idè obiectum, non est libera voluntati. Nō acquiesco rationi: contra quā sic arguuntur. Ad hoc, ut actus sit liber, non requiritur cognitio actus, qui formaliter in se liber esset tantum cognitio obiecti, ut patet in volitionibus liberis, quas tantum præcedit cognitio obiecti voliti: ergo ex eo quod ratio indiuidualis actus

actus non cognoscatur, non infertur non posse esse liberam respectu voluntatis. Rem confirmo, & rationem vi-geo. Ratio specifica amoris, vt distincta ab odio, & intensio actus liberè exercentur respectu voluntatis, intellectu non cognoscente rationem specificam amoris, neque illius intensiorem: ergo ex eo quod intellectus non cognoscat rationem indiuidualem actus, non infertur hanc non esse liberam. Deinde etiam indiuiduatio omnium actuum cognosceretur expressè, & distinctè à voluntate, nihilominus voluntas non valeret se determinare circa omnium indiuiduationem, quod sic probatur. Cognitio, qua ego cognosco meum actum charitatis, verbi gratia, erga Deum immediatè, & per se non conducit, vt ego exerceam actum charitatis, quia hic tantum regitur cognitione, qua proponitur illius obiectum, scilicet Deus, vt bonus: ergo tantum potest conducere, vt ametur talis actus charitatis per actum reflexum imperantem, quo ego dicam: *Volo elicere talem numero actum charitatis, ex vi cuius imperij elicatur hic numero actus charitatis*: ergo cognitio indiuiduationis tantum potest conducere, vt imperetur à voluntate: ergo indiuiduatio, ex eo quod cognoscatur, tantum potest esse libera, quatenus potest esse volita, & amata per actum reflexum imperantem talem indiuiduationem actus: ergo indiuiduatio actus voluntatis, quæ non procedit ab illo actu reflexo illem imperante, etiam si cognoscatur non potest esse libera respectu voluntatis: sed non possunt omnes actus indiuidui voluntatis procedere ab alio actu reflexo: ergo si illorum indiuiduatio expressè cognosceretur ab intellectu, non posset esse libera. Non posse omnes actus indiuidui voluntatis procedere ab alio reflexo imperante manifestè probatur: quia si actus procedit ab alio imperante, alius ille imperans vel procedit ab imperante, vel non; si procedit, pergo ulterius, & de illo, à quo imperans imperatur, inquiri, an imperetur ab alio? Donec veniam ad aliquem non imperatum, quem si non inuenio, in infinitum abibo: de illo ergo non imperato dici non poterit aliquid conducere cognitionem suæ indiuiduationis vt voluntas liberè se ad illam, præ aliis tendentibus in idem obiectum, determinet.

Desiderabis rationem, propter quam voluntas potens se determinare ad speciem, & intensiorem actus, non possit se ad illius indiuiduationem determinare: illam accipe. Ad illud valet voluntas se determinare, ad quod trahitur in actu primo ab obiecto, & ad quod ex vi cognitionis allicitur, & inuitatur: cognitio autem bonitatis inuitat, & allicit voluntatem ad amandum, & non ad odio habendum; & ita voluntas ex vi cognitionis, quæ representatur obiecti bonitas, inuitata ad amandum, valet se determinare ad amorem; quod est determinare se ad specificationem actus. Idem dico respectu intensiorem: quia bonitas obiecti voluntatem trahit ad amorem, & quo maior est illa, & viuacius proponitur, trahit ad maiorem, seu intensiorem amorem; ad quem inclinatur cognitio bonitatis, & ita voluntas inuitata per cognitionem ad totam intensiorem amoris, quam potest elicere, ex vi talis cognitionis, valet intra illam intensiorem, se determinare ad plures, paucioresve gradus amoris, etiam si illorum intensiorem, aut specificationem non cognoscat. Respectu indiuiduationis hæc ratio non habet locum: quia nulla apparet ex parte obiecti bonitas, vel formalitas, quæ petat amari hoc indiuiduali actu amoris, & non alio eiusdem rationis, neque ex obiecti meritis (vt sic loquar) illi debetur talis numero actus amoris, vt distinctus ab omni alio, ex meritis autem obiecti boni, seu rationis formalis terminantis actum amoris, debetur amoris actus, vt distinctus ab actu odij, & debetur amor in tanta intensiōe, salua libertate voluntatis, quæ potest obiectum, quod ex vi representationis, qua obicitur, petit amari amore intenso, vt sex, ad quem inclinatur illius representatio, amare actu intenso, vt quatuor, vel tantum vt duo, seu in quacunque intensiōe contenta infra maximam, ad quam se potest extendere ex vi bonitatis propositæ, seu cognitionis inclinantis ad amorem. Ex hoc inferes rationem, propter quam voluntas non potest se determinare ad indiuiduationem actus esse, quia nulla apparet formalitas in obiecto volito, quæ inclinet ad hanc indiuiduationem actus, vt distinctam ab omni alia eiusdem speciei.

Danda est vltima determinatio indiuiduationis effectus procedentis à causa creata, Deo, qui causam necessariam determinatam quoad specificationem, & liberam se

determinantem ad speciem effectus, determinat ad hanc indiuiduationem effectus, & actionis, vt distinctam ab omni alia eiusdem speciei. Moueor ad asserendum hanc determinationem prouenire à Deo, & non à circumstantiis; quia determinationem hanc posse à Deo procedere difficultate caret, & vix concipi potest, quomodo ab aliis circumstantiis possit procedere; quod sic ostendo: Si tempus determinat hunc numero effectum, inquiris, quis determinat hoc numero tempus? seu hunc numero cæli motum, potius quam illum? Si dicas tempus imaginarium; clarè impugnaberis, quia hic numero cæli motus potuit esse in hoc vel in illo imaginario tempore eo modo, quo dicitur motus esse in tempore imaginario. Fortius: tempus imaginarium nihil est reale; sed tantum purum figmentum: quomodo ergo valebit determinare indiuiduationem effectus realis, & positiui? Deinde de circumstantia loci inquiri; quæ ista sit? an locus extrinsecus: hic non quid enim mea hoc, vel illo aëre ambi? hac vel illa tegi veste ad hanc numero volitionem, & non aliam ab hac distinctam producere? Si dicas esse locum intrinsecum, seu præsentiam; rursus teneberis alias circumstantias assignare, quibus hæc quoad indiuiduationem determinetur. Recurres ad spatium imaginarium loci, quod eodem modo reicitur, ac spatium imaginarium temporis. Deinde licet corpus non possit habere in alio spatio præsentiam, quam in isto habet; potest tamen in isto hanc, vel illam habere; homo enim, qui ab hoc spatio discedit, etiam si ad illud redeat, non eandem numero præsentiam acquirit; sed aliam numero distinctam, aliis idè numero effectus reproduceretur, præcipue in corporibus celestibus, quæ sæpe idem spatium remeant, & idem indiuisibiliter sumptum cum eadem indiuisibili correspondentia partium occupant, quod prius occupauerant. Video te de spatio imaginario loci, ad spatium imaginarium temporis fugientem, vt vim argumenti effugas; sed imaginaria satis est solutio, quæ ab imaginariis desumitur. Et sanè percipi non potest: quomodo circumstantiæ adeo extrinsecæ possint hanc præstare determinationem; neque vlla est positiua ratio, quæ id suadeat, ex quo non leue desumitur fundamentum pro nostra sententia.

Rursus argumentor pro sententia tradita: Deus est causa libera omnium effectuum, quos producit vt causa prima cum causis secundis, & necessariis: ergo sicut causa libera creata determinat effectum secundum rationem, quam potest determinare, causa libera increata determinabit eundem effectum secundum rationem, quam potest illum determinare, salua libertate causæ liberæ creatæ, & determinatione causæ necessariæ: sed Deus potest determinare indiuiduationem effectus salua libertate causæ liberæ creatæ, & determinatione causæ necessariæ: ergo illam determinabit. Sola pars illa minoris, quæ asserit Deum posse determinare indiuiduationem volitionis, salua libertate voluntatis, quam aliqui negant in diget probatione, illam exhibeo. Circumstantiæ temporis, & loci secundum communem sententiam non tollunt libertatem, etiam si determinent indiuiduationem effectus: ergo neque Deus libertatem auferet, si idem præstet, sicut enim determinatio, quæ est à Deo non est à voluntate: sic determinatio, quæ esset à circumstantiis non proueniret à voluntate: ergo sicuti hæc non esset contra libertatem voluntatis, ita neque illa. Secundo etiam si voluntati liberum sit amare, vel non amare, non est illi liberum ex suppositione, quod liberè sit amatura amare hoc numero actu, potius quam alio eiusdem rationis specificæ tendente in idem numero obiectum: ergo determinatio quoad hanc indiuiduationem non potest esse contra libertatem voluntatis, determinatio enim actus secundum rationem, quæ liber non est respectu voluntatis, non potest huius lacerare libertatem. Secundo modus, quo Deus determinat voluntatem ad hanc numero volitionem, est parando concursum indifferentem, vt voluntas eliciat, vel non eliciat hunc numero actum, & non parando similem concursum ad alios actus eiusdem rationis, qui possent ex eisdem principiis huius loco procedere: ex quo infertur, quod si voluntas sit operatura pro sua libertate, hunc actum eliciat, & non alium salua illius libertate ad hunc eliciendum, & non eliciendum: ergo determinatio indiuiduationis volitionis præstata à Deo nullo modo lædit libertatem voluntatis.

9 Obiicies, sequi ex nostra sententia Deum esse causam, ut sit potius hoc peccatum, quam illud: quod est absurdum. Respondeo, Deum nullo modo esse causam malitiæ peccati: ac proinde non esse causam, ut potius sit hæc malitia, quam illa, neque Deo tribuitur, ut hic, & nunc sit numero actio materialis peccati; quia Deus non positiue determinat illius existentiam; sed parat concursum indifferenter ad illam, quem non præbet ad aliam existentiam eiusdem rationis: ac proinde Deo tribui potest negatio existentie aliis actionis materialis peccati, quia non præstat concursum indifferenter ad illum, sine quo fieri nequit: existentia verò huius actionis materialis causæ secundæ tribuenda est; quia hæc tantum illam determinat offerente Deo concursum indifferenter ad actionem peccaminosam exhibendam, & non exhibendam. De hoc iterum latius, & opportunius redibit sermo Punct. 4. §. 5. à num. 46.

10 Obiicies præterea: Causa prima determinat effectus quoad indiuiduationem: ergo quoad speciem; quia indiuiduatio, & ratio specifica effectus non distinguuntur. Alio modo solet ex eodem principio obiici. Causa secunda determinat effectum quoad specificationem: ergo quoad indiuiduationem; quia specificatio, & indiuiduatio in effectu non distinguuntur. Hoc argumentum æquè procedit in sententia, quæ determinationem indiuiduationis tribuit extrinsecis circumstantiis. Respondeo indiuiduationem, & speciem à parte rei non distingui in hoc indiuiduo; & causam determinari quoad speciem esse idem, ac determinari quoad plura indiuidua sub distinctione, hoc videlicet, vel illud, ex quibus Deus vnum determinat; qui non dicitur determinare rationem specificam; quia quodcumque quod determinaret, ex his, ad quos causa secunda sub distinctione est determinata, eiusdem esset speciei cum hoc, quod determinat.

PUNCTUM III.

De physica prædeterminatione.

1 Non disputo modò, an physica prædeterminatio libertatem lædat? vel an requiratur ad actus liberos salutes, ex speciali prouidentia Dei erga prædestinatos? hoc enim ad Theologum attinet; sed an præcisè ex modo physico, quo effectus producit, necessariò sit constituenda, necne?

§. I.

Viraque sententiâ proposita, verior eligitur.

2 Statuimus iam strictissimam dependentiam, quam habet causa secunda à prima, non solum ut existat, verum etiam ut operetur, ex vi cuius nihil potest causa creata producere, Deo non concurrente cum illa ad effectus productionem. Indagandum est modò, an Deus tantum concurrat cum creatura concursu simultaneo per actionem indiuisibiliter dependentem à causa prima, & à causa secunda? an verò concurrat per præuisam aliquam præmotionem, seu qualitatibus infusione, ex vi cuius causa determinatur ad operandum?

Vniuersa Thomistarum schola, ut viam sterneret ad alia Theologiæ altiora, præter concursum comitantem causæ primæ cum secunda, antecedentem, seu præuium alium his temporibus inuenit, quem acerrimè propugnat; asseritque necessum esse aliquid produci à Deo in causa secunda, quod huius operationem præcedat, & prædeterminet, ex vi cuius causa secunda prædeterminetur ad operandum. Hic concursus præuius variis nominibus à Thomistis nuncupatur. Quidam illum appellant physicam prædeterminationem; alij præmotionem; alij qualitatem prædeterminantem; alij impressionem; alij complementum. Tota Societatis schola qualitatem hanc totis viribus relicit. Vtriusque scholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; idèò nullum refero: tantum moneo nullum ex nostræ Societatis auctoribus non illam abundè impugnasse: ex illustrissima verò Dominicanorum familia nullum, ante Bañez qui huius prædeterminationis fuit primus parens, illam docuisse, & post hunc illam abiurasse Aluelda disput. 58. & disput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gu-

tierrez vir miro ingenio præditus, excellensque doctrinâ, vehementer semper hanc prædeterminationem stomachatus est, & M. D. Fr. Antonius Viezma Episcopus Petrensis, & postea de Almeria, qui diu primarius Cathedræ Theologiæ, magno huius Complutensis Vniuersitatis plausu, fuit Professor, numquam materias de gratia, scientia, & prædeterminatione scripsit, neque verbo explicauit, ne in hanc prædeterminationem, contra propriam mentem prædeterminatus, incideret, ut sape nostris ipse testatus est.

Antiquos omnes discipulos D. Thomæ pro nostra sententia esse & physicam prædeterminationem, quam modò Thomistæ moderni defendunt, neque à longè salutasse optimè ostendit noster Ruicius tomo de scientia disp. 49. sect. 6. ubi ostendit clarissimis testimoniis S. Antonij, Agidij, Romani, Rainierij, Paludani, Capreoli, & Cæterani, Deze, Conradi, & Holcot, etsi in Nominalium classis annumerati ex illustri Dominicanorum familiâ testimonijs horum doctorum referendis abstinere, quæ apud Ruicium legi poterunt.

His, & aliis fundamentis munitis scripsi Magistrum Bañez primum fuisse parentem physicæ prædeterminationis, quod antea notarunt nostri Recentiores, & postea Typis mandauit Ripalda tom. 2. de ente supernaturali lib. 5. disp. 113. sect. 4. n. 9. contra vtrumque in surgit nouus quidam his verbis: *Eam tuentur* (scilicet physicam prædeterminationem) omnes S. Thomæ discipuli nullo, quem sciam dempto. Quia tamen sunt, qui absque ullo fundamento ausi sunt asserere: imò & scribere, & typis mandare, quod primus Author huius sententiæ fuit M. Bañez, & quod eam postea abiurauit Magister Aluelda, & M. Araujo, & alij Patres Magistri Primarij Complutensis, & Salmanticensis in gratiam veritatis vtrunque mendacium paucis, sed euidentissimis refellam Authorum testimonijs. Modum loquendi huius Religiosi corrigere suorum Prælatorum erit, meum tantum esse volo ostendere meum, & Ripaldæ assertum verissimum esse, neque testimonium aliquod ab hoc Recentiori adduci, quo vel in minimo nostram veritatem suspectam reddat, singula ab ipso adducta referam ostendamque illibatam nostram veritatem relinquere.

Primo loco hæc Capreoli verba adducit, 2. dist. 5. quasi, 2. Deus est causa non solum nature, sed etiam cuiuslibet actus creature, quatuor modis, videlicet dando virtutem, eam conferuando, & in quantum mouet ad agendum, & denique prout quodlibet agens est instrumentum diuine virtutis operantis. Nescio in quo ex his verbis euidentiam sui intenti Magister iste reperiat, ex quo physicam prædeterminationem deducat. Deum dare virtutem, & eam conferuare cum prædeterminatione non concernit. Applicare virtutem ad agendum sine prædeterminatione ex diuersis capitibus cognosci poterit, quia Deus causam conferuat, & expeditam facit ad agendum, & quia suam omnipotentiam applicat ad concurrendum cum illa. Denique causam esse instrumentum Dei dicit causam operari per virtutem à Deo acceptam, atque productam, & hanc non posse operari Deo cum illa non operante.

Subdit ex eodem Capreolo, causa conferens, & conferuans virtutem, cuiuslibet agentis secundæ mouens illam ad operandum, & eam suo affectui coniungens operatur in quolibet operatione agentis secundæ, sed Deus est huiusmodi: igitur. Concedo consequentiam, videlicet Deum operari in quolibet operatione agentis secundæ; sed quid inde? Vnde physica prædeterminatio? Si eam in voce illa mouens inuenire vult, ostendam in ea non esse, & ita alibi querendam.

Tandem hanc propositionem ex Capreolo subdit. Dico, quod simul tempore, sed prius naturæ actio primæ causæ attingit effectum, quam actio secundæ. Ex mente Capreoli, Deus est causa actionis creaturæ producendo, & conferuando virtutem actiuam, ut constat ex testimonio prius adducto, conferuare autem, & producere virtutem creatam prius naturæ est, quam actionem à virtute procedere.

Debilis profecto sunt ista, vrgentiora dato. Audiat modernus iste Capreolum, quem suum patronum vocauit, pro me contra ipsum loquentem. Sic habet in 1. dist. 45. quasi. vnica ad quartum contra tertiam conclusionem. Voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet, ut velit, vel non velit determinatur à se ipsa: & illud, quod ad hoc determinat, est actus eius determinatus. Non clarioribus verbis potuit dici voluntatem se ipsam determinare per proprium suum actum; & ita ad hunc nullam illius determinationem supponi.

Deinde